



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 63. Hæc lis ad Daniæ Regis tribunal delata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

chum inauguraret, addita hac lege, *Sæc. XVIII.*
 ut salva Pastoralis facultate P. Emanue- *A. C. 1740.*
 li de Camba concessa præter P. Düring-
 kium nemo alius, nisi a Flaviopolita-
 no institutus, deinceps pro Parocho
 haberetur.

§. LXIII.

*Hæc lis ad Daniæ Regis tribunal
 delata.*

Interea inter Ultrajectenses & Vica-
 rium Apostolicum de jurisdictione
 contententium indies magis magisque
 exarsere studia; quapropter Participan-
 tes Domini, atque inter eos præcipue
 Stallerus Inderwelden ad supremum
 Insulæ Strandæ Dominum Christianum
 VI. Daniæ Regem suas querelas defer-
 re statuerunt. Eo igitur fine Frideri-
 cum Zizcherum Regium Præfectum,
 & Mauritium Christianum Ericium
 Advocatum plena agendi facultate mun-
 itos die vigesima quarta Junii hujus
 anni eo ablegant, eisque scriptum su-
 premæ Gottorpiensi Curie consignan-
 dum tradunt, in quo adversus Lovan-
 nienses & Mechlinenses Patres Orato-
 rii querebantur, quod horum nomine
 & auctoritate Pater Düringus in Stran-
 dia septentrionali privatam cultum Di-
 vinum hucusque restrictum extendere

Sæc. XVIII. ausus fuisset, hac autem ratione jura
 A. C. 1740. Patronatus violasset, quæ tamen in
 Romano - Catholicos hujus Insulæ in-
 colas anno Christi millesimo sexcente-
 simo quinquagesimo secundo eis, &
 quidem in Corpore non modo concessa,
 sed etiam novissime anno hujus sæculi
 trigesimo secundo & biennio post a Re-
 gia sua Majestate confirmata fuissent,
 præfatisque Dominis promissum, dicta
 jura, utpote ab eorum Majoribus titu-
 lo oneroso acquisita, deinceps, uti an-
 tea, & quo modo usitata fuerint, in-
 tegra, & omnino intacta fore: Præte-
 rea hi Participantes in dictorum confir-
 mationem adjunxere Pastoralis inaugu-
 rationis literas Patri Gerardo Eger-
 wyts a Petro Coddeo tum Vicario Tra-
 jectino concessas, in quibus hæc verba
 legebantur: *CUM ALIORUM EX-
 CLUSIONE, & ita, ut nemini, nisi de
 expresso ejus aut constituentis consensu, Pa-
 storis aut Missionarii munia exercere liceat:*
 insuper quietum hujus juris exercitium
 per plures ejusmodi literas in subse-
 quentibus annis datas comprobatum
 reddebant, in suæ causæ favorem al-
 legantes fundatam in Jure Canonico re-
 strictionem ad *sacra domestica*, præcipue
 vi cap. X. Decretalium de *Privilegiis &
 excessibus privilegiatorum &c.* Denique
 impense flagitabant, ut contra Patres
 Ora-

Oratorii *mandatum de non turbando & nihil innovando*, indicta etiam multa pecuniaria, a Rege sua Majestate edatur, eisque serio injungatur, ut jura Patronatus, uti & Parochialia *Corpori in solidum & indivisim* competentia imminuere, aut lædere, vel sua Sacra domestica quovis modo extendere deinceps non præsumant, proin membra principi Ecclesiæ Parochiali incorporata ad suas Ecclesias allicere, seu admittere desinant, & de præstanda sua obedientia testimonium ac declarationem intra terminum quindecim dierum transmittere teneantur:

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

Horum precibus facile annuit Christianus VI. Daniæ Rex, qui mox die vigesima septima Junij Gottorpii mandatum ad Patres Oratorii transmisit hoc tenore:

„Ex annexo scripto transumpto Patribus Oratorii Mechliniæ & Lovanii agentibus & præcipue Patri Düringk Compaticipantibus in nostra Insula Strandia notum facimus, quod Fridericus Zizscher noster Præfectus, necnon Mauritius Christianus Ericius Advocatus præfatæ nostræ Insulæ ac ditionis Participantium Religione Catholicorum Actores plena facultate instructi, Nos questum convenerint,

A a 4

ex-

Sæc. XVIII.

A. C. 1740.

„exponentes, quod Vos Sacra pro vo-
 „bis & vestris domesticis celebrandi fa-
 „cultas em limitatam, proin nonnisi pri-
 „vatum cultum non ita pridem eo usque
 „extendere aggressi fueritis, ut Pater
 „Düringk erectam ibidem Parochiam,
 „& ad illam tam in corpore, quam si-
 „gillatim deputatorum Sacerdotum ju-
 „ra imminuere & turbare attentarit,
 „cum tamen vos duntaxat *restrictive* &
 „quoad domesticos & in aliis casibus in
 „Parochia emergentibus actus mini-
 „steriales exercere sponderitis: Ea-
 „propter Nobis supplicatum est pro
 „mandato pœnali S. C. de non turbando &
 „nihil innovando. Nos igitur æquæ pe-
 „titioni deferentes mandamus & serio
 „ac sub pœna centum talerorum præ-
 „cipimus vobis omnibus & sigillatim
 „Tibi, Patri Dyrincko, ut id omne
 „intermittatis, quo jura Patronatus &
 „Parochialia tam Corpori in solidum,
 „quam indivisim competentia quovis
 „modo imminui, vel in minimo labe-
 „factari possent, proin speciatim vestra
 „Sacra domestica, eisque annexos a-
 „ctus ministeriales nullatenus extra
 „domesticos extendere, nec ad princi-
 „pem Parochiam pertinentia membra
 „ad Vos pertrahere, allicere vel ad-
 „mittere præsumatis, sed potius ea ad
 „legi-

„legitimum in Parochia cultum Divi- Sæc. XVIII.
 „num adstringere studeatis &c. A. C. 1740.

§. LXIV.

*Patrum Oratorii vindiciæ contra
 Participantium querelas.*

Acceptis hisce literis Pater Düring-
 kus pro se, ceterisque Patribus
 Oratorii ultra præstitutum terminum
 adhuc quindecim dierum inducias ad
 deliberandum sibi concedi die vigesima
 sexta Augusti petiit, obtinuitque, qui-
 bus tamen evolutis Mense sequenti per
 Küsterum Provinciæ Advocatum ad-
 versus Participantium propositas quer-
 elas libellum supplicem obtulit, expo-
 suitque, Fridericum Schlesvici Ducem
 anno prioris sæculi quinquagesimo se-
 cundo Patribus Oratorii diploma de-
 disse, vi cuius publicus Religionis cul-
 tus nonnisi Catholicis, Lutheranis,
 & Calvinistis fuerit concessus, proin-
 participantibus duntaxat jus Patrona-
 tus attributum, inde vero sequi, quod
 apud Catholicos vacante Parochi offi-
 cio tam Candidatus, quam Episcopus
 Candidatum inaugurans tam a summo
 Pontifice, quam a Parochianis pro ve-
 re Catholico habeatur, Gerhardo au-
 tem Egerwys Parocho nuper mortuo,
 dum de successore per plurimorum vo-